

F W B

A N N O

1 6 3 0



W 50/5

Wk Nr. 3-95.

Crocina

meist blauende Blätter


wie 2-20, 23) der Weißkirsche

ein lindgrüne Blatt für Hessen-Laub

zweite Linie hat.

L. IV. 44.






Wb Nr. 2













Joh. Al. Gebhardi  
1703.




THEOLOGORUM PONTIFICIORUM  
ex Ordine Fratrum Minorum, nunc upato-  
rum Capuccinorum

ACTIO SECUNDA.

Pro disputatione, inter præcipuos dissidentes de  
fide Christiana proposita

à  
CÆLSISSIONE PRINCIPE  
**ERNESTO,**  
HASSIÆ LAND.  
GRAVIO, &c.

*Considerata,  
Simplici veritatis tueri studio,  
à  
JOHANNE CROCIO.*



*Cassellis,  
Typis SALOMON Schadewig / Anno 1652.*

THEOLOGORUM FORTIFICIORVM

ex Oratione Domini Nostri Iesu Christi  
et de S. Petri et Pauli Episcoporum

Actis Apostolorum.

ACTIO SEQUITUR.

Prout ab aliis, ut episcopis diligenter  
admodum tractatur.

ESTERISIMO PRINCIPI

ERNESTO

DUKE OF SAXONY

AND CROWN PRINCE

OF POLAND

AND WESTPHALIA

AND BRABANT

AND HANAU

AND LIPPE

AND CALW

AND MECHELEN

AND BREDA

AND DORDRECHT

AND MAASTRICHT

AND MECHELEN

AND BREDA

AND DORDRECHT





D. JOANNI CROCIO, VALERIANVS  
CUM SUIS COLLEGIS SA-  
lutem.

**C**onsideravimus tuę Eruditionis ad iteratas litteras Celsiss. Principis Ernesti responsum , cuius scopum credebamus tibi fore quadruplicem : scilicet, Ponere quatuor theses ad quatuor quæstiones motas à præfato Principe.

Probare illas.

Confutare quatuor theses positas à nobis , ubi illas probabsemus.

Excusare quòd non veneris ad congressum Francofurtensem.

Noluit tamen tua Prudentia ponere, nedum probare theses suas.

Confutavit tua Eruditio quatuor nostras, necedum à nobis probatas.

Pluribus tua Animositas excusavit, quòd non veneris ad congressum Francofurtensem, accusavitq; provocationis modum, & circumstantias.

Nos verò seponimus excusationes, accusationes, & argumenta tua cōtra nostras theses, & inquirimus duntaxat rationem, cur nolueris ponere theses postulatas à Principe.

Tres priores, scilicet positionem propriæ Ecclesiæ, propriæ doctrinæ, & propriarum decisionum articulorum, disputatorum ab ætate Lutheri, distinguis à quarta, cui satisfacere debuerat tua humanitas, ponendo, quid sit, unde quilibet & quælibet possint sibi cavere ab erroribus Ecclesiæ docentis.

Tres illas non ponis, velut notas Celsiss. Principi nato, & educato inter Reformatos.

Quartam promittis ponere, & probare , ubi Capuccini probaverint Rom. Pontificis primatum in Ecclesia. Existimas enim Celsiss. Principem constituisse hunc ordinem in prioribus litteris suis, quem acceptas : cum vero, quem statuit in iteratis litteris, recusas.

Videris, Croci, velle ex insidiis invadere inimicum , quod quidem in

pugna corporali est indecorum, in conflictu verò Theologico sapit conscientiam propriæ doctrinæ minus solidæ: nimurum oculis tuas, invâlusrustheses nostras.

At, inquis, illæ theses fuerant notæ Principi, nato & educato inter Reformatos: hæc excusatio est sine substantia & sine colore: Ergo ne cogitabas disputare cum Principe, ignorabas nè tibi esse disputandum cum Valeriano nato, & educato inter Catholicos?

Accedit, quod disputaturi ponunt theses, quorum veritas inquiratur. Et quandoquidem aggredieris nostras, cur non exponis tuas?

Scias insuper velle nos, si vos audetis, disputare vobiscum ex iis, quæ protocolum autenticum habet exarata; sive est causa, cur id velimus.

Id porrò, quo excusas negatam positionem quartæ thesis, sapit quoque conscientiam de vestræ doctrina difficultatibus; nam si non vis thesin illum probare, nisi post deputatam thesin, positam à nobis, cur saltem non exponis tuam? tametsi à te probandam ultimo loco?

Nos enim confirmaturi Pontificis Rom. assertum primitatum, cogimur ex Protocollo rescire prius, quid sit id, unde vos cavitis vobis ab heresibus Ecclesiæ docentis? vos enim speratis, nos neglecto Pontifice Rom. accessuros vobis. At ignotinulla cupido, quapropter quamdiu tua circumspecta cautela non ponit theses illas, categoricas præcisæ & claras, & præcipue quæ tam, tamdiu suspicamur te vereri absurditates, quæ confundunt veltram de illis doctrinam. Verum placuerit tua Prudentia publicare theses illas, non tamen propterea licebit nobis continuare tecum ullum tractatum Theologicum, prohibiti eo titulo, quem tu ipse divinare potes. Cæterum nos sumus proni in tua obsequia, cui & preciamur à Deo salutem plurimam. Actum Coloniae 24. Januarij, Anno Domini 1652.

VALERIANUS MAGNIUS, Capucinus.  
F. BARTHOLOMÆUS, Wernen, F.F. Cap. Guards.  
F. BENIGNUS Elbingensis, fratum Capucc. in  
Archî-Confraternitate Crucifixi Conc. Coloniae:

DOMI



DOMINIS CAPUCCINIS,  
VALERIANO MAGNO, BARTHOLOMÆO WERNEN & BENIGNO  
ELBINGENSI,

*JOHANNES CRÖCIUS SALUTEM.*



Harta, Domini Capuccini, & nomine vestro & actionis se-  
cunda insignitatitulo, pro disputatione, inter præcipuos  
dissidentes de religione Christiana, à Celsissimo Principe  
ERNESTO, Landgravio Hassiae &c. proposita, in no-  
stram veniturbem nudius tertius. Vidi, legi, expendi.

Dicitis, vos meum ad iteratas Celsissimi Principis Ernesti, Landgra-  
vii literas responsum considerasse. Consideraveritis. Non pugno. Affir-  
mantibus credo. Quam exactè, esto penes collatores; Quadruplicem, quem notatis, mihi fore scopum, credere poteratis. Licebat. Quis prohiberet? Causa credendisatis idoneahactenus mihi non paret. De scrupulis questus erat Princeps è nostra ortis religione: Iis orthodo-  
xa Ecclesiarum Protestantium doctrina onerabatur; theologiad collo-  
quium evocati variis gravabantur præjudiciis. Num crederetis, mē nihil  
eorum amoliturum? num taciturnum ad omnia?

Unum meritò credidistis; reliqua immeritò. Meritò credidistis, *me excusaturum, quod ad colloquium hactenus non venerim Francorum.* Sic excusavi, ut quoniam venerim, per ipsum evocantem Principem & alios, nec per illustrissimum clementissimumque meum Principem, nec  
per me stetisse, ostēderim. Sic excusavi, ut declaravrim, me, jubente illu-  
strissimo nostro Princeps, ceteris paribus, adhuc venturum. *Quod reli-  
quum est, immeritò credidistis.* Cur quatuor ponerem theses, ad quatuor  
questiones à Princepe recens motas? Cur operosè probarem? Pruden-  
tiae tribuatis, an imprudentie, parvum refert. Non erat præmium opera. Cur  
priùs vestram expectarem probationem, quam meum de vestris positio-  
nibus promerem judicium? Quid si vobis non placuissest unquam proba-  
te? Quid si probatione supersederi posse, judicassetis, iudicis assertionibus  
vestri, seducto acquiescente Princepe?

A 3

Sponde-

Seponere placet vestræ prudentiæ & meas excusationes, & accusatiōnes, & argumenta contra vestras theses proposita. Laudo prudentiam. Cautè saltem agendum, ubi vix potest solidè. Præteritut tūtiū quām agitur, quod everti nequit.

Inquirere tantum vultis rationem, *cur noluerim quatuor ponere theses à Principe postulatas.* Hic cogito, tantumne referat, eam scire vos rationem? an hæc publica inquisitio divinæ gloriæ illustrandæ, & Ecclesiæ saluti, cui promovendæ vos totos deditos esse, profitemini, tantum conferat momentum? Cæterum frustrâ quæritis rationem, quam depromiseram non rogatus. Hac erat, quod materia collationi jam pridem esset præscripta, nec ab ea discedendi causa suppeteret idonea.

Dicitis, *metres priores, scilicet positionem propria Ecclesiæ, propria doctrine, & propriarum decisionum articulorum ab atate Lutheri disputatorum, à quarta distinguere.* Num male? At Princeps ipse distinxerat, si tamen tam ipse, quam formalis consilii distinxit director. Quin & vos ipsi in actione prima, quam vocatis, pariter distinxeratis. Si bene, curego hoc nomine traducor? Id tamen si vestræ placebat animositati, retinuissest faltem verba Principis manu subscripta. Ille non nominabat PROPRIAM, sed postulabat sibi designari doctrinam de fide, quæ in cuiusque partium Ecclesia sic proponitur credenda, ut illi, qui contumaciter eam pernegant, anathemate separantur. Hoc, ni fallor, à vestra loquendi forma longè in diversum abit. Nec enim omnis doctrina, quæ in cuiusque partis Ecclesia, sub anathemate credenda proponitur, mox est illius propria, nec quævis propria proponitur credenda sub anathemate.

Id vel una Romana Ecclesia suo nos docet exemplo. Articulos symboli Apostolici, Nicæni & Athanasiani sub anathemate credendos proponit: Et omnes, qui Concilii Constantinopolitani primi, Ephesini primi & Chalcedonensis doctrinam de fide contumaciter respuunt, anathemate separat: neque tamen hæc doctrina est Ecclesiæ Romanæ propria. Est illi nobiscum communis. In solidum accipimus, profitemur, defendimus, & contumaciter refragantes rejicimus. Rursus, Ecclesia Romana habet sequentes doctrinas proprias ex Gregorii VII. dictamine apud Baronium ad an. Christi 1076.

1. Quod Ecclesia Romana à solo Domino sit fundata.
2. Quod solus Romanus Pontifex jure dicatur universalis.
3. Quod ille solus possit Episcopos deponere, vel reconciliare.
4. Quod legatus ejus omnibus Episcopis præsit in Concilio, etiam inferioris gradus, & adversus eos sententiam depositionis dare possit.

5. Quod



- 7.
5. Quod absentes Papa possit deponere.
  6. Quod cum excommunicatis ab illo inter cetera nec in eadem domo debemus permanere.
  7. Quod illi solilicet, pro temporis necessitate, novas leges conde-re, novas plebes congregare, de Canone Abbatiam facere, & è contra divitem Episcopatum dividere & inopes unire.
  8. Quod solus possit uti Imperialibus insigniis.
  9. Quod solius Papæ pedes omnes Principes osculentur.
  10. Quod illius solius nomen in Ecclesiis recitetur.
  11. Quod unicum est in mundo nomen Papæ videlicet.
  12. Quod illi liceat Imperatores deponere.
  13. Quod illi liceat de sede ad sedem, necessitate urgente, Episcopos transmutare.
  14. Quod de omni Ecclesia quocunque voluerit, clericum valeat ordinare.
  15. Quod nulla Synodus absque ejus præcepto debet generalis vocari.
  16. Quod nullum capitulum, nullusque liber canonicus habeatur absque ejus auctoritate.
  17. Quod sententia illius à nullo retractari, & ipse omnium solus retractare possit.
  18. Quod à nemine ipse judicari debeat.
  19. Quod nullius audeat condemnare Apostolicam sedem appellantem.
  20. Quod majores causæ cuiusque Ecclesiaz ad eum referri debeat.
  21. Quod Romanus Pontifex, si canonice fuerit ordinatus, in meritis B. Petri indubitanter efficitur sanctus.
  22. Quod illius præcepto & licentiâ subjectis liceat accusare.
  23. Quod absque Synodi conventu possit Episcopos deponere ac reconciliare.
  24. Quod à fidelitate iniquorum subditos possit absolvere.  
Habet Ecclesia Romana, ut alias nunc taceat, & has proprias doctrinas.
  25. Quod Virgo Maria concepta sit sine peccato.
  26. Quod Papa sit supra Concilium.
  27. Quod sit Dominus totius Orbis terrarum.
  28. Quod Episcopi jurisdictionis potestatem non à Christo, sed à solo habeant Papa.

Ha do-



**H**æ doctrinæ Ecclesiæ Romanae propriæ: neque tamen hodie, quod sciam, ubique proponuntur sub anathemate credendæ. Certè non sunt eo titulo propositæ Tridenti. Nec omnes recipiunt Gallicanæ, nec omnes & singulas Ecclesiæ Hispanicæ.

*At, inquisit, questioni quartæ satisfacere debuisset tua humanitas, ponendo quid sit, unde quilibet & qualibet possint fibricavere ab erroribus Ecclesiæ docentis. Audio, debuisse. Cur debuerim, yestra potius diceret humanitas. Num omne, quod, vobis impulsoribus, Princeps postulat, ego debeo præstare? si non omne, cur hoc?*

*Audio, quod videar ex insidiis velle invadere inimicum. An hoc in corporali pugna sit indecorum, quod affirmatis, ego non disputabo. Nescio tamen, an omnes viri militares hanc vocem & quis sint accepturi aribus. Magni duces summæ duxerunt laudi, re ita postulante, hostem ex insidiis adoriri. Nō primi sic senserent nostri seculi prelatores. Certè jam olim in populo Dei ea pugnâdi ratio nil quicquam detrahebat victoris gloria. In theologico confictu prodant insidiæ conscientiam doctrinæ minus solidæ. Ego nullas sum molitus. Nec ulla velim moliri deinceps. Quibus videor inde hostes impugnare velle? Num alius? qui scitis? an vobis? Quo argumento?*

*Occlisti tuas, inquisit, invasurus nostras. Non oculo, ne patenter. Non pono, quia patebant Principi sciscitanti. In Ecclesia nostra erat natus: erat educatus: Transgressus erat non solum pueritiae & adolescentiae, sed & primos juventutis annos. In viris & quidem valde prudentibus censebatur. Et docendus à me nunc demum esset, quænam nostra sit Ecclesia? Tot annos audiverat nostros pastores, cum plurimi contulerat theologia in sua peregrinatione, tot intra breve temporis spaciū legerat autores de fidei controversiis, quos ipse nobis longā memorat serie. Etiñoraret doctrinam, quam, cum scriberet, jam toto animo deseruisse, fatis perspicue & verbis profitebatur, & rerum comprobabat testimonii. Aviro prudenti non minus alienum, doctrinam deserere, quam amplecti non satis cognitam. Ipse agnoscet, quæ molis opus esset, omnium decisionium controversiarum texeré catalogum. Illudne suscipere citra spem ullius emolumenti? Abjunxerat se à nostra Ecclesia quoad sacramenti usum: non communicaverat cum ea intra sesquiannum. An & cum quibus communicaverit, ipse noverit optimè. Pro tuis, Valeriane, consequentiis contra nostros jam pronunciaverat disertè. Profitebatur, se D. Calixti censurā, quæ sibi minus inverecunda videtur, inter Calixtinos & Pontificios cunctabundum detineri. Cui igitur bono indicem*

*texe-*



texerem? Quam informationem à nobis isto expectaret statu? Alio nō tebatur informatore.

Jam addo; Protestabatur, se non nisi sub conditionibus, quas ipse exprimebat, in literiam consentire collationem. Omnes eas mirabantur; omni carent exemplo, & nimis aliena. Princeps, quā est prudentia, nunquam præscriptisset sibi permisus, aut ego multum fallor. Sunt, quē putent, suggestorem repulsam prævidisse, suggestissē tamen ut inde sine pugna via fteretur ad triumphum. De quo quicquid fiat, tam stupidi non eramus, quin intelligeremus, quo ille quæstionum tenderet apparatus. Ratio, quam ex eo petebam, quod Princeps in nostra fuerit Ecclesia natus & educatus, esto in oculis vestris sine substantia & colore. Non quero anxie colorem. Non opus ullo adscito est colore. Sufficit sibi nuda veritas. An sit, ut vobis cum loquaris, sine substantia, per vestram humanitatem, esto penes alios, qui & magnum Principis ingenium & solicitam educationem nō rūnt, & inexplabilem sciendi cupiditatem, qui stupendum in tot auctoribus, quos ipse nobis nominavit, intra intervallum non admodum longum lectis inexhaustum viderunt laborem, qui denique memoriā felicem experti sunt & acre judicium.

Quæreris, ergone cogitaverim disputare cum Principe? Theatricam cum illo disputationem inire non cogitabam. Si tamen, quod apud alios factitavit, Papismi susciperet defensionem, & eam impugnaret religionē, quam nobiscum ante hac profitebatur, quid nō adversus ipsum tuerer veritatem? Sciebam ex epistola ad Principes data lectione, obtendere colloquio sui informationem. Illius, non autem vestrā eram causa venturus ad collationem. Non ignorabam, tecum Dn. Valeriane, quem in Papatu natum educatumq; esse tum ex tuo scripto, tum ex aliorum cognoveram relatu, & cum duabus aliis Capucinis mihi disputandum esse. Id tamen non obstat, quod minus illius mihi potissimum ratio esset habenda, qui scrupulos sibi de nostra religione exortos esse, dicitabat. Quamvis, quid si tui tantum fuisset habenda ratio? Num tui informandi causā Princeps proponebat quæstiones? An tu non exacte noveras hominum nostrorum de religione sententiam, quā te irrefragabiliter absurdis obviisse, seductus pronunciat Princeps, quamque tu ab armis jātē benē multis falso risisti? Ex superiorum temporum actis mihi nata ratio, quam si vobis cum justa veritatis staterā examinastis, vix quam scribitis, mihi scriptis scitis dicam. Ubi materia disputationi semel est præcripta & utrinque acceptata, ab ea resurget non licet, nūsi ex mortuō partium consentit. Scis,

quod objicitis, disputatores poneret beses, quarum veritas inquiratur. Sed & scio, ponere postquam mutuo consensu delectae fuerint quæstiones. Hoc nobis dedisletis. Nulla in me fuisset mora. Sed & scio, quod ab hoc colloquiorum genere sit alienum, partem unam sibi soli proponendi auctoritatem vindicare, ac non tantum quæstiones, quas velit, proponere, sed & ad illius mutum legesque alteram ante tempus suam declarare debe-re sententiam, licet omnes clament circumstantie, quo animo, quoque fine illa retexenda proponatur tela.

*Quandoquidem, inquit, aggredieris nostras, cur non exponis tuas?* De meis cur torties queritis queribundi? Meas cui bono ponem? Erant nota Principi, qui tuo, non vestro querebat nomine. Si vestro postulasset, aliud dedissem responsum. Vestram quartam servabam intactam colloquio Francofurtensi. Tres vix obiter tango. Tango & seducti Principis & seductorum, id est, vestra causâ. Sitamen hanc gloriam vestri vobis concedunt æmuli. Principis; ut, dum ejuranda nostra religionis & Papistica soleanniter profitenda tempus adesset, de quo, ut & de loco jam tum nobis auditum erat, argumenta mea obiter proposita cum animo suo expenderet. Imprimis ut cogitaret, quid de Concilio Tridentino, in quod fides Papistica magna ex parte recumbit, eo ipso tempore, quo omnium animi in eventum erat intenti, Cæsar Augusti & Regis Galliae legati fenserint, qui omnia coram inspexere. *Vestra;* ut videretis, tū quid in vestra desiderem declaratione, tum quid potissimum probandum sit, si quidem nos in vestram velitis partem trahere.

*Scire me vultis, velle vos, si nos audemus, disputare nobiscum ex iis, qua protocolum authenticum habet exarata.* Vos, qui chartam actionis secunda titulo præsignatam sparsistis? Interroganti veniam date. Nunc alia, Valeriane, tuo adjuncta video nomina, quæ in actione prima non apparent. Num ea vobis potestas à superioribus concessa? Concessam credent, qui sciunt, vos cæcam vovere obedientiam. Non itaque velle putandi, nisi quod vestri volunt superiores. At illi si volunt, si vos vultis, illorum jam cognitâ voluntate, quomodo vobis non licet tecum ullum continuare tractatum Theologicum? Num fortasse licet cum aliis, mecum minime? Diceretis igitur potius, cum *vestris*, quam *vobiscum*, nisi pluralis numerus, juxta regulam vestram, excludat singularem. De quo quicquid fiat, sciatis & vos, nostros ausuros vobiscum disputare, loco & tempore utrique parti commodo, juxta leges sive usu in Imperio hactenus receperas, sive in quas utrinque partes liberè consentient. Inter illos, qui audi-  
bunt,

bunt, ego minimus omnium meum profiteor nomen, eandem cum fratribus disputationis aleam, in Dei nomine, subiturus, si res postulet, ac ille præcipiat, qui præcipiendi habet potestatem.

Quodnam verò indigitatis authenticum protocolum? quæ exarata, ex quibus nobiscum disputare vultis? Num quod in manu habetis jam confectum? Nimirum alienum. An deinceps conficiendum? An quæ habebit, ubi exarata fuerint? Cætera omnia si bene habeant, huic vestro desiderio haud difficulter locus dabitur. Modò justa sit causa, quam subesse dicitis, cur id velitis, & communis eorum, quorum interest, approbetur cōfensu. Id enim vobis persuadum esse debet, nostros non magis à vobis accepturos leges, quam vos ab illis. Omnes à nostris pendemus superioribus non minus quam vos à vestris. Illorum auctoritati atque juri, leges à vobis accipiendo, nemo nostrum quicquam ullâ derogabit occasione. Princeps Ernestus ad nostros scribebat. Principes, scripto proponi omnia debere, sine ulteriori protocollo. Vos nonnisi ex iis, quæ authenticum protocolum habet exarata, disputare vultis. Gravis causa sit oportet mutata ex non magno intervallo sententiae.

Scribitis, id quo excusem negatam positionem quartæ thesis, sapere quoj conscientiam de doctrina nostra difficultatibus. Quid si faperet, ut mihilo qui vobiscum liceat? Num iustum esset impropterum? Fatebor lubens, si difficultas est dogmatis falsi aut saltem suspecti certa indicina. Sed & quis sapit? An non alia queat esse causa negatæ declarationis? Si alia, quo argumento vobis patet conscientia difficultatis? Illius pondus, quod promitis, cum animo vestro ad veritatis iustitiaeque lancem expendite. Nam, inquit, si non vis ihesin illam probare, nisi post depuit am ihesin, positam à nobis, cur saltem non exponistuam? O admirandum argumenti pondus! Sic tamen habete. Non acceptavi ordinem in literis iteratis statutum. Ultrò agnoscitis. Fatemini palam. Habetis causam mentis meæ super ea quæstione non declaratæ. Dixi tamè declaratum tempore & loco suo. Vobis primatum & infallibilitatem Papalem confirmaturis primæ dicendi partes à Principe sunt concessæ, idque dubio procul gravi consilio. Is honor à me vobis servari debuit illibatus. Is vobis strenue tuendus. Thema scilicet de Petri & Pontificis Romani solitario occumenico Papatu, & hinc suspensa Pontificis infallibilitate, probandum erat ante omnia, nostræ audiendæ exceptiones, & si possetis confutandæ. Hinc tota pender causa. Infallibiliterem Pontificis si solidè probetis, tenemur vobis ad stipulari in omnibus, quæ ex cathedra promulgat credenda. Non



**Opus** est ulla ulteriori disceptatione. Cur igitur illius thematis justo citius  
deserendi ac in amplissimum pulcherrimumque illum consequentiarum  
vestrarum campum intempestivè excurrendi præberem occasionem?  
Scio, excursione illa nihil vobis accidere jucundius: nec in video, quam  
inde capit is, voluptatem. Ego interim ordinem premo semel constitu-  
tum. Dixi, ab eo me non dimoveri. Hæc mihi stat sententia.

*Confirmatur inquisitio, Pontificis assertum primatum, cogimus ex  
protocolo rescribere prius, quid sit id, unde vos carvetis vobis ab heretibus Ecclesie  
doceatis. Domini Capuccini, à quo cogimini? Princeps seductus no-  
lebat Protocolo esse locum in colloquio. Sic habent ejus literæ. Vix tam  
subito mutavit sententiam ad Principes prescriptam factamque juris pu-  
blici. Num igitur à Romano præfule? an vestræ familiæ sive Generali, si-  
ve Provinciali? an ab extraneo vim moliente? Vim enim ferè sonat coa-  
ctio. An forte causa ipsa cogit, quam agendum suscepistis? Illa si cogit,  
quam speciosè de difficultatis conscientia sermonem in ferret, qui vestrum  
sequi amaret morem? Num ad primatum, qualem, invitâ scripturâ & an-  
tiquitate primâ, confirmare velletis, confirmandum tuendumque scire  
prius cogunini, unde nos disputaturi ab heretibus docetis Ecclesiæ papalis  
velimus nobis cavere? An unde velit quilibet & qualibet? Hoc scire prius  
cogi, nondum intelligo. Non enim cum quilibet & qualibet congregâ  
voletis. Res futura cum iis, qui disputationi sustinenda destinabuntur. Ex  
illisne scire velitis, unde sibi caveant? Experti sunt vestri jam integro se-  
culo & quod exurrit. Eadem adhuc hodie placet cavendi ratio. Si quis  
persuadere nobis Papismum conetur prætextu Scripturæ, ex eadem nobis  
cavemus. Si jactet, qui mos passivus, Patrum veterum nomina, cavemus  
nobis & ex Scriptura, & ex antiquitate.*

Sic autem nobis inde cavemus, ut semper in nostris sonent auribus,  
semper oculis & animis obversentur graves Augustini sententiae nō sine  
magna causa olim pronunciatæ. Nominatim illa scribentis Hieronymo  
epist. 19. *Ego fateor charitati tuae, solis eis scripturarum libris, qui jam ca-  
nonici appellantur, didici hanc timorem honoremq; deferre, ut nullum eorum  
aucto rem scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in  
eis offendero literis, quod videar in contrarium veritati, nihil aliud, quam  
vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assicutum esse, quod dictum  
est, vel me minime intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, ut quan-  
tlibet sanctitate doctrinæq; propoleant, non vero prætextu Scripturæ, quia ipsi-  
ra senserant; sed quia mihi vel per illos antec. canonicos, vel probabilita-  
tione,*

tione, quod à vero non abhorreat, persuaderet potuerunt. Illa lib. de unit. Eccl. cap. II. Nec catholicis Episcopis consentiendum est, sicuti foris fallimur, ut contra canonicas Dei scripturas aliquid sentiant. Obversatur animo & illa lib. 2. de bapt. contra Donatistas cap. 3. *Quis nesciat, sanctam scripturam canonicam, tam veteris quam novi Testamenti, certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus Episcoporum literis ita præponi, ut de illa omnino dubitari & disceptari non possit, utrum verum, vel utrum rectum sit, quicquid in ea scriptum esse constiterit: Episcoporum autem literas, que post confirmatum canonem vel scriptae sunt, vel scribuntur, & per sermonem forte sapientiorem cuiuslibet in ea reperitioris, & per aliorum Episcoporum graviorem autoritatem, doctoremq[ue] prudentiam, & per concilialicere reprehendi, si quid in eis foris à veritate deviatum est.*

Sinos sperare existimatis, vos, neglecto Pontifice Romano, accessuros nobis, minus recte existimatis. Transierunt quidem aliqui de vestra ad nos familia. At ea singularis est Dei gratia. Illa fecit, ut raro & admirando Mosis exemplo inducti eligerent potius simul malis affici cum populo Dei, quam temporariis commodis peccati frui. Illa fecit, ut majores arbitrarentur divitias probrum Christi, quam Ægyptiorum thesauros. Idem verò de vobis qui sperremus, nondum video. Nos in montem excelsum homines ducere non possumus, è quo illis monstremus omnia regna mundi, & gloriam eorum. Vos potestis & amatis. Non tantum viros seculares, sed & Ecclesiasticos in eum ducitis. Cùm alia omnia argumenta cadunt irrita, quibus eos in vestras velletis partes trahere, ad hoc unum, tanquam validissimum cause præsidium, lubentes vertimini. Tu Valeriane hac arte non hodie demum cœpisti pugnare. Tu hominē consequentiis tuis non succumbentem in montem ducis comiter: tu adducto Romanum Pontificem, collegii Cardinalium suffultum consilio, tu Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, totumque ordinem hierarchicum, qui neminem, cujuscunque sit conditionis, excludat, magnificè ostendas: Tu cuiilibet ad unum vel alterum horum graduum patere aditum, suaviter inculcas: Tu summos Pontifices, qui ex obscurissimis familiis orti ad summum illud dignitatis culmen adscenderunt, spumatisbus memoras verbis. Tu tot ordines monasticos, tot parochias, tu immensas divitias, tu potentiam longè latèque diffusi Imperii Pontificii insuperabilem, tu ejus Principes, Monarchs, subditos, tu denique statum Ecclesiae Romanæ florentissimum exquisitâ orationis pompâ commendas. Non contentus hunc tantum felicitatis vestra splendorem hominis ad ejus magnitudinem stu-

pentis objecisse oculis; expónis insuper, voce rebus sapienter accommodata, miserrimum Ecclesiæ nostræ statum: ad animum gravi oratione revocas, quod amplissima bona nostra Ecclesiastica in sortem politicorum cesserint, qui ea inter se sint partiti, ministris autem Ecclesiæ curta sit suppellex relicta, panis tribulationis & calix paupertatis. Imprimis & hoc urges speciose, quod nostri omni dignitatum ecclesiasticarum obtinendarum spe penitus excederint. Scis, mi Valeriane, me nihil hic fingere. Scis, nil quicquam dicere, quod ex ore tuo non sit auditum. Et nos speremus, vos, Pontifice Romano, penes quem omnium Ecclesiarum beneficiorum & particularium rerum dispositionem esse, aliqui dictitant, reliquo, nobis tanta cum miseria conflictantibus esse accessuros? Qui speremus? Sitamen præter omnem rationem eam animo spem conciperemus, quis inde vos ex protocolo authenticè prius, quam vestræ probetis, scire cogat, unde nobis velimus cavere ab Ecclesiæ vestræ docentis erroribus?

*At ignoti nulla cupido.* Fatoe. Num verò ullus vestrū in controversiis tam parvum sit versatus, ut ante omnem thematis vobis injuncti probationem ex authenticō protocollo scire eum oporteat, unde nobis ab erroribus Ecclesiæ docentis caveamus? Imprimis tu Valeriane Magne, qui Viennā in Rheni rupem ultro accurrisse diceris, nec alio, credo, fine, quam ut Principem à nostra abstraheres religione; Si tamen non jam tum abstractus, sed adhuc abstrahendus erat, & ad vestram solenni pompā traduceret. Num ignores, quod absurdis sequelis premere à multis annis tibi collibuit? Hoc à persona, quam te gerere audimus, hoc ab tua eruditione, hoc à longa multorum annorum experientia, quā polles, nimis alienum.

Suspicemini vos, quamdiu libet, me vereri absurditates, quæ nostræ, de motis questionibus doctrinam coequantur. Suspicemini tamdiu, quamdiu non pono ad vestrū nutum theses, quas imperabatis, categoricas, praecisas, claras, & precipue quartam. Prohibere nec possim, nec velim. Interim vestræ suspicio non mox causam reddit suspectam. Vobis si licet suspicari, nobis licet suspicionem despiceret. Bipedium forem stolidissimus, si Principi in nostra Ecclesia nato, educato, eruditio monstrare vellem sive Ecclesiam, sive doctrinam, à qua in ætate virili defecit. Absurditates, quas vestræ gens hucusque ostentavit, cur magnopere sint extimescenda, nondum intelligo.

Non placuit mihi nuper illas edere theses, quas vestro consilio Princeps illustrissimus volebat elicere. Nec quidem nunc placet. Cui enim bono,

bono, cum, ut dicitis, vobis non liceat mecum ullum continuare tractatū theologicum, eo titulo prohibiti, quem ipse divinare possum. Non sum ariolus, non conjector. Divinare non didici. Non versatus sum in ariolorum umbra. Aut veteri, aut novo titulo prohibitis non licet. Si veteri, cogitabunt boni, quo igitur animo vos ad conferendum nobiscum Francofurti ostenderitis paratos. Si novo, cur me scire vultis, vos nobiscum, si audemus, disputare velle? Nisi fortasse disputare vultis nobiscum, & tamen mecum nullum continuare theologicum tractatum; aut disputatio vestra non esse debet tractatus theologicus.

Quicquid ejus sit, non enim in vestra penetro arcana, si non meā, saltem aliorum causā Ecclesiā vestrā probassetis indicationem, quam nobis commendatis, & quidem haud dubiè ut omni tempore veram ac infallibilem. Dixi enim & adhuc semel dico, eā nec usquam à Christo esse factam, nec ab Apostolis sive singulis, sive congregatis commendatam, nec Ecclesiā universalis sententiā conciliari unquam decretam, nec ab universa Ecclesia agnitam, ac unanimi consensu receptam. Totam causam in compendium conferatis, si quod ego hīc nego, vos solidē probaveritis. Compendium etiam non contemnendum fuerit, si probaveritis, quod ad secundam quæstionem affirmatis, quod si de saltem implicitā omnia, quæ circa fidēi doctrinam fuerint decreta in conciliis generalibus approbatas à Romano Pontifice, unusquisque sub anathemate credere teneatur. Dixi enim & iterum dico, jus illud nec à Christo esse institutum, nec ab Apostolis promulgatum, nec ab Ecclesia universalī sanctū, nec unanimi consensu approbatum, receptumve ab Ecclesia universa.

Contrarium si probaveritis, nemo erit, qui synodi Tridentinæ auctoritatem non agnoscat, ejusque decisionem non amplectatur. Scimus enim, approbatam esse à Pio IV. Romano Pontifice. Si non probetis, nec decisio necessariò agnoscenda erit infallibilis, nec quidem constabit, legitimam fuisse synodus. Si vero à Pii IV. confirmatione suspenditur infallibilitas, de Pontificis Romani infallibilitate ante omnia constare debet. Non constat sive ex Scriptura, sive ex universalis Ecclesiā decreto, sive unanimi patrum veterum consensu. Sine approbatione Pontificis infallibilem esse, vos ipsi fortasse non dicetis. Unde igitur constabit? Ecclesia universalis nusquam declaravit conciliari sententiā. Tridentini patres quidem dicunt, *congregatam esse synodum in Spiritu Sancto*. At Ariminensis synodus idem de se sentiebat. Non ideo mox erat. In canonibus Tridentinis non lego definitum. Quod in canonibus non definitur, in eo errorem committi posse, vestri aliquando ipsi profitentur. Quid si decrevisset ac peculiari promulgasset canone? Non tamen vi canonis credendum esset, nisi prius de decernentis synodi constaret in fallibilitate. Merito enim Bellarminus scribit: *aut constat nobis aliunde concilium aliquod fuisse legitimum, aut non constat. Si constat, frustram conditum tale decretum; si non constat, jam de ipso de creto dubitare incipiemus: Si enim ambigo an fuerit legitimum concilium, antequam definiret, se esse legitimum, ambigo eriam annoverari in eo decreto, quo se legitimum esse pronunciavit lib. 2. de concil. c. 9.*

Ad



Ad eos si provokes, qui interfuerunt concilio, parum proficies. Num illis omnibus potuit esse evidens sine alia probatione? Hoc quidem affirmat Bellarminus: ego vero Cæsarei & Regiorum legatorum protuli judicium, unde omnibus patet, quid illis fuerit evidens. Ille dicit, quod presentes videant, convenisse in unum Episcopos, qui habentur ab omnibus veri Episcopi, & convenisse ex variis provinciis, & vocatos a beo, qui habet auctoritatem & si quid aliud requiratur ad concilium legitimum. Ad hoc requiritur, ut Episcopi à Christo habeant potestatem judicandi. Num eam à Christo habere Episcopos, videbant omnes, qui intererant Concilio? Hispani quidem, nominatim Granatensis & Bracarense cum sociis fortiter affirmabant & multis argumentis probare conabantur. At Legati Pontificii se videre, non ostendebant. Imò videbant, hæc siteneret sententia, claves non fuisse soli Petro datus; & Concilium esse supra Papam, fieri qd episcopos aequales Pontifici, cui nibil relinquitur nisi quædam præ alias prærogativa: cardinalitiam dignitatem Episcopis hodie superiori necessario tolli & relinqui puros presbyteros & diaconos. Ideo subornatur Lainez, Jesuitarum Generalis, qui probaret, potestatem jurisdictionis totam integrāq; Pontifici Romano datam, nec ejus ullam scintillam quenquam aliorum in Ecclesia habere nisi ab ipso. Et sanè magno ille impetu rem agebat. Verum Georgius Sincont, Franciscanus, Episcopus Segniensis, contendebat, si Episcopi suam auctoritatem non habeant à Christo, ne quidem habere concilium, quod ex Episcopis consistat: Si non habeant à Christo, profecto omnium in unum congregatorum humanam quoq; esse auctoritatem, & cujus aures hoc personet, quod auctoritatem à Christo non habeant Episcopi, fieri non posse, quin existimet, hanc synodus esse congregationem hominum profanorū, cui non presideat Christus, verum potestas quadam precaria ab hominibus accepta, tñq; patres frustra tantos sumptus facere, & tot incommoda Tridenti perferre, quando majorē cum auctoritate eadem trattari possint ab eo, qui Episcopos & Concilium ad eorum translationem auctoritate munivit, adeoq; toti in universum populo christiano illusum, cum non modo ut optimum, verum uti unicum & necessarium medium propositum fuit, ad huius temporis controversias determinandas. Addebat, id ante omnia esse decidendum, quippe quod è vero decisum omnia Concilii acta confirmet, si contraria subvertat. Et si verò Pius IV. faveret Jesitarum opinioni, tanquam rebus suis commodè, non tamen est decisio quæstio conciliari sententiā. Jam habet Lainez, habet Segniensis Episcopus, Franciscanus, sui ordinis homines adhuc hodie. Illi efficiant, ut cœcumenici Concilii sententiā hæc decidatur controversia, priusquam de decisionis Tridenti facta auctoritate pronuncient.

Quod restat, in vestra obsequia non minùs sum pronus, quam vos in mea, idque sime fuso. Salutem verò vobis precor à Deo plurimam, eamque sempiternam, amanter rogans, ut repetitionem ejusdem reitædiosam humaniter condonetis. Vestrum secundus sum filium.

Scribem Gassellis Hassorum 24. d. Januarij, Anno æra christiana 1652.

Johannes Crocius.



154887

ULB Halle  
002 639 602

3




56.

AB 154887

W77







THEOLOGORUM PONTIFICIORUM  
ex Ordine Fratrum Minorum, nunc upato-  
rum Capuccinorum

ACTIO SECUNDA.

Pro disputatione, inter præcipuos dissidentes de  
fide Christiana proposita

CÆLSISSIMO PRINCIPE  
**ERNESTO,**  
HASSIAE LAND.  
GRAVIO, &c.

Considerata,  
Simplici veritatis tuendæ studio,  
à  
JOHANNE CROCIO.



Cassellis,

Typis SALOMON Schadewig/ Anno 1652.